

bus, exceptis irregularitatibus bigamiæ et homicidii voluntarii, ut ex compendiis privilegiorum et ex aliis auctoribus constat, poterunt etiam in hac irregularitate dispensare; de quibus privilegiis latius in proprio opere, Deo bene juvante, dicere paramus.

SECTIO VII.

Utrum per alias actiones contrahatur irregularitas ob defectum lenitatis.

1. Præter actum iudicii et belli justii, numerari hic solent irregularitates, quas interdum contrahunt medici, vel chirurgi, vel eorum ministri, qui eos adjuvant ad secundum brachium, v. gr., et infirmarii qui curam gerunt ægroti et suis actibus interdum accelerant ejus mortem. Nam hi omnes videntur contrahere irregularitatem absque peccato, occasione mortis aut mutilationis; ergo ob defectum lenitatis.

2. *Conclusio.* — Dicendum vero est, ex hoc capite nunquam contrahere has personas irregularitatem. Nam loquendo in primis de laicis, si debitam diligentiam et peritiam adhibeant in suo munere, etiamsi mors sequatur, non incurrunt irregularitatem, cap. Ad aures, de Ætate et qualitate. Incurrent autem illam, si ex imperitia aut negligentia; ex eorum actione sequatur mors. Illa tamen irregularitas non est ex defectu lenitatis, sed ex delicto, pertinetque ad homicidium casuale, potius quam ad voluntarium. Quæ regula communis est chirurgis, ut recte notavit Sylvest., verb. *Homicidium*, 2, quæst. 13 et 14, et a fortiori etiam extenditur ad eorum ministros et cooperatores, ut recte Navarr., num. 218, quia non est pejoris conditionis cooperator, quam agens principale. Differentia autem inter hos omnes, ac iudices et ministros eorum, primaria est, quia jura ponunt irregularitatem in uno casu, et non in alio. Hujus vero ratio est, quia illorum actio per se ordinatur ad vindictam et ad sanguinis effusionem; horum vero ad vitæ conservationem.

3. *De infirmariis.* — Unde etiam concluditur, eandem regulam servandam esse cum his, qui habent curam infirmorum. Nam, si convenientem providentiam adhibeant, nunquam incurrunt irregularitatem, nisi interveniat culpabilis negligentia, ita ut periculum accelerationis fuerit prævisum vel prævideri potuerit et ex notabili negligentia prætermisum fuerit. Quæ est communis sententia

Cajetani, 2. 2, quæst. 64, art. 8; Soti, 5 de Justitia, quæst. 1, art. 9; Navarri, num. 29; Tabienæ, *Irregularitas*, 3, num. 12 et 13; Armillæ, num. 48; Angeli, *Homicidium*, 2, num. 14; Sylvestri, quæst. 14; Maioli, lib. 5, cap. 48, § 1.

4. *Quæ actiones sint circa hoc clericis prohibita.* — Hæc autem omnia eodem modo procedunt in clericis, præterquam in casibus in jure expressis, qualis est in cap. Tua nos, de Homicidio; ibi enim prohibetur clericis chirurgiæ artem exercere, unde si ex actione ejus sequatur mors, etiamsi non sequatur ex culpa ejus, sed ex negligentia infirmi vel alia de causa, nihilominus irregulares fient, quia actio illa eis prohibita est ratione talis periculi et sub illa conditione, de quo supra dictum est, et videri possunt auctores in locis proxime citatis.

DISPUTATIO XLVIII.

DE IRREGULARITATE, QUÆ EX INFAMIA CONTRAHITUR.

Quamvis infamia delictum per se non sit, ex delicto tamen oriri solet, et ideo post irregularitates, quæ ex delictis nascuntur, hanc proxime adjungimus, quæ illis maxime affinis est, quamvis interdum possit sine delicto contrahi. Prius ergo de ipsa infamia videndum est, quid et quotuplex sit, et unde oriatur; deinde quomodo ex illa irregularitas contrahatur, et quomodo etiam tollenda sit.

SECTIO I.

Quid sit infamia et quotuplex.

1. *Fama quid.* — Constat ex voce ipsa infamiam esse quamdam bonæ famæ privationem vel diminutionem. Est autem fama (quæ absolute dicta in bonam partem accipitur), *illæse dignitatis status, vita, et moribus comprobatus et in nullo diminutus*, ut dicitur in l. Cognitionem, ff. de Variis et extraordinariis criminibus. Infamia ergo erit imminutio hujus status, quæ per publicam malamque opinionem de persona fit, et hæc ipsa sinistra opinio publica est infamia. Unde sicut Augustinus, lib. 83 Quæstionum, quæst. 34, definit bonam famam seu gloriam esse claram notitiam cum laude, ita nos dicere possumus, infamiam esse obscuram notitiam, et reprehensione seu vituperatione dignam.

2. *Infamia ex parte materiæ duplex.* — Unde in primis constat, materiam, circa quam versatur infamia, esse vitium aliquod vel defectum personæ. Ex quo capite duplex potest distingui infamia, ita ut una sit de vitio, quod sit proprium peccatum seu delictum personæ, cujus manifestatio personæ existimationem dimittit; alia sit de aliis qualitibus seu defectibus personæ, quæ sine culpa ejus, statum dignitatis ejus dimittunt; et utraque ad præsentem considerationem pertinet, quamvis magis prima, ut videbimus.

3. *Secunda divisio infamiæ in legalem et popularem.* — Solet autem ulterius distingui in infamiam juris et facti, nam de utraque fit mentio in jure. De priori, in l. 1, 2 et 3, ff. de His qui notantur infamia, cap. Infames, 3, quæst. 7; de posteriori, in cap. Licet, de Testibus, cap. Licet, de Probationibus. Ut autem hæc communis distinctio melius exponatur, aliam licet non adeo vulgarem præmitto, qua possumus infamiam dividere in legalem et communem, seu popularem, vel humanam; quarum prior etiam dici potest infamia juris, et posterior facti. Quam divisionem sumo ex l. Eam, C. Ex quibus causis infamia oriatur, quæ sic habet: *Ea, quæ pater testamento suo filios increpans, scripsit, infames quidem filios jure non facit* (ecce infamiam juris). *Sed apud bonos et graves opinionem ejus, qui patris displicuit, onerat* (ecce communem infamiam facti). Legalem ergo infamiam appello illam, quæ ex vi alicujus legis humanæ habet aliquos morales effectus, ratione quorum specialis quædam moralis macula reputatur, et quia in ea ratione completur per institutionem humanam, ideo legalis appellatur, et eodem sensu dici potest infamia juris quoad suam primævam originem et institutionem. Communis autem seu popularis infamia dicitur opinio quædam, quæ obscurat quidem personæ æstimationem et aliquo modo vilem eam reddit, non ex vi alicujus legis, quia nullam inde habet institutionem, neque ullum effectum, sed solum ex hominum iudicio et apprehensione, ideoque dici potest infamia facti, ut, v. gr., communis opinio de aliquo, quod descendat ex secta damnata, si non foveatur aliquo jure habente talem personam suspectam, vel eo titulo inhabilitatem aliquam introducente, erit infamia quædam communis et humana; si autem accedat tale jus, erit legalis. Hic ergo esse posset unus sensus illius communis

partitionis infamiæ juris et facti, communiterque hoc sensu accipitur, ut videre licet in Sylvest., et aliis, verb. *Infamia*, et Castro, ac Penna, locis infra citandis, et aliis, quos isti referunt; ad infamiam enim facti nullam juris dispositionem requirere videtur. Sed certe in ordine ad effectus morales, ut nunc de illa loquimur, necessaria est aliqua juris dispositio, quæ statuat quale crimen sufficiat ad infamiam, quod in præsentem maxime necessarium est, ut videbimus. Et ideo supponimus omnem infamiam, de qua sermo est in præsentem, debere esse legalem, quam iterum dividemus in juris et facti in alio sensu, nam alia divisio prius necessario præmittenda est.

Tertia divisio infamiæ in civilem et canonicam.

4. Tertio ergo dividitur legalis infamia in civilem et canonicam, juxta cap. ult. de Secundis nuptiis, ibi, *Legalis infamia*, id est, per leges civiles introducta; est enim ibi sermo de infamia, quam lex civilis imponit mulieri, quæ intra annum viduitatis transit ad secundas nuptias, quam infamiam jus illud canonicum abstulit. Unde constat infamiam juris civilis, per se distinctam esse ab infamia juris canonici. Quanquam verum sit infamiam juris civilis, quæ per jus canonicum expresse sublata non est, etiam esse infamiam canonicam, ut notavit Innocentius, in cap. Qualiter et quando, 2, de Accusat., et sumitur ex cap. Omnes, 1, 6, quæst. 1: *Omnes*, (inquit Adrianus Papa) *infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant.* Quod intelligendum est, nisi jus ipsum canonicum talem infamiam abstulerit; nam tunc potius ipsa infamia civilis per superiorem potestatem juris canonici sublata censetur, ut bene notavit Glossa in dicto cap. *Cum secundum Apostolum.*

5. *Duplex regula ad dignoscendam infamiam canonicam.* — *Prima.* — *Secunda.* — *Aliqua peccata inducunt infamiam canonicam quæ non inducunt civilem.* — Unde duplex solet statui regula ad cognoscendam infamiam canonicam, quæ ad nos pertinet. Una est, omnem infamiam civilem per jus canonicum non revocatam, esse canonicam, non quia a jure civili lata est, sed quia a jure canonico accepta est, vel expresse in dicto cap. Omnes, vel tacite, dum eam non aufert, nam tanquam in re sibi favorabili, et rationi conformi consentire videtur. Secunda regula est

omnem illum, qui suis culpis exigentibus ad sacerdotium promoveri non potest, esse infamem secundum jus canonicum, ut eisdem fere verbis habetur in dicto cap. Omnes, et notarunt Abbas, et Innocentius, in cap. Testimonium, de Testibus. Qui advertunt dictum esse, *Qui suis culpis exigentibus*, quia quando propter alias causas aliquis removetur ab Ordinibus susceptione, non propterea infamis efficitur, quod patet ex multis irregularitatibus, quæ sine ulla infamia contrahuntur, ut per secundas nuptias, per occisionem hominis in bello justo vel per justam sententiam. Et ratio est, quia multa possunt ad Ecclesiasticum Ordinem requiri, quibus potest homo carere sine infamia, vel dedecore. Unde obiter constat ratio, ob quam aliqua sunt peccata quæ inducunt infamiam canonicam, quæ non inducunt infamiam civilem, ut notavit Turrecremata in dicto cap. Omnes; multa enim peccata inducunt irregularitatem, quæ secundum leges civiles non efficiunt homines infames. Ratio autem est, quia plus exigitur ad statum Ecclesiastici Ordinis, ejusque decentiam, quam ad civilem temporalem politiam ac decorem, et ideo in ordine ad prædictum finem aliqua reputantur in jure canonico ad irregularitatem inducendam, quæ ex solo civili jure illam non inducunt. Ultimo occurrit circa hanc posteriorem regulam advertendum, illam non deservire præsentis instituti, quia secundum illam infamia est veluti quid consequens ad legem canonicam imponentem irregularitatem propter delictum; hic autem agimus de infamia, quæ antecedit irregularitatem, et est causa ejus ex vi generalis legis, quæ facit irregulares omnes infames. Et ideo in priori regula insistendum est; et deinde addi posset, multo magis esse infamiam canonicam, quam directe ipsum jus canonicum incurrit, etiamsi nullo alio jure imposita sit.

Quarta divisio infamiae legalis in infamiam juris, et facti.

6. *Infamia facti.* — Quarto utraque infamia legalis, tam canonica quam civilis, in facti et juris infamiam dividi potest, vel (ut verborum æquivocatio tollatur), una dici potest infamia illata per actum juridicum, quam juris tantum appellamus; altera illata per quaecumque facti manifestationem, quam vocamus legalem facti. Quamvis enim talis infamia semper aliquo modo sit ex institu-

tione juris, tamen applicatio ejus ad talem personam seu existentiam ejus (ut sic dicam) aliquando fit juridico modo, ut per sententiam judicis, aliquando per solum factum hominis, ut per evidentiam facti publici, vel per divulgatum sermonem. Et in hoc sensu significatur hæc divisio in cap. ult. de Temporibus ordin., ibi: *Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent*, etc., ubi duo modi indicantur infamandi personam, unum per judiciarium ordinem, alium per facti evidentiam; ex priori modo resultat infamia juris, ad quam certum est sufficere sententiam definitivam judicis, per quam aliquis damnatus est, vel declaratus, ut convictus de crimine, ex l. Verbum, C. Ex quibus causis, etc. Ubi dicitur, interlocutoriam non sufficere, sed necessariam esse definitivam sententiam, causa cognita. Et ita censeo esse intelligenda citata verba ex dicto cap. ult.: *Si proposita crimina ordine judiciario comprobata*, utique complete et perfecte, quod non fit, donec definitiva sententia feratur. Et hæc est communis sententia, ut patet ex Glossa, et Doctoribus, in dict. cap. ult., et in cap. Vestra, et cap. ult. de Cohabitatione cleric. et mulier., et in cap. 4 de Exception.; Sylvester, verb. *Infamia*; Navarr., cap. 25, num. 73; Castro, lib. 2 de Justa hæreticorum punitione, cap. 9. Imo addendum est, jure canonico necessarium esse, ut per accusationem processum fuerit, nam si per viam inquisitionis procedatur, etiam si sententia sequatur, non sequitur infamia juris, ut notat Abbas, in cap. Inquisitionis, de Accusation., num. 2. An vero præter hunc modum sit alius sufficiens ad infamiam juris, statim explicabitur. Infamia autem facti esse dicitur, quando sine actu judiciario, ex ipso facto ab aliis cognito, sinistra opinio divulgatur de tali persona, atque infamia generatur; qualis vero notitia ad illam sufficiat, statim explicabitur.

7. *Quomodo infamia legalis ex sola sententia, aut solo facto generari possit.* — Ratio dubii. — Dubitari enim in primis potest circa divisionem hanc quomodo possit infamia legalis, de qua agimus, ex sola sententia aut ex solo facto generari. Duo enim in tali infamia necessaria sunt, substantia infamiae, ut sic dicam, et legalitas. Primum non potest fieri per solam sententiam seu jus, quia infamia in sua substantia consistit in opinione et notitia hominum; hanc autem non efficit sen-

tentia vel jus ipsum per se, sed divulgatio et locutio hominum; si enim sententia in angulo proferretur et ibi occultaretur, non generaret publicam opinionem sinistram de persona; ergo nec generaret infamiam. Sententia ergo potest esse fons infamiae, non tamen sola infamiam inferre, nisi conjungatur aliquod factum hominum. Secundum etiam, id est, factum ipsum et divulgatio hominum loquentium non sufficit ad infamiam legalem, nisi adjungatur sententia, quia quantumcumque sit evidens et publica notitia facti, illa non habebit effectus legales, donec sententia judicis accedat; ergo non erit infamia legalis, juxta ea quæ in secunda divisione dixi. Antecedens patet, quia infamia sub illa ratione habet rationem pœnæ, et hæc non incurritur absque judicis sententia.

8. *Quædam responsio ad priorem partem rejicitur.* — *Tria in infamia juris distinguenda.* — Ad priorem partem responderi posset, illam dici infamiam juris, quia ortum habet a sententia juridica, non quia præter illam prolatam seu promulgatam non sit necessarium aliquod factum hominum loquentium vel scribentium, ut infamia consummatur. Sed hoc non recte dicitur, quia in eodem puncto, in quo finitur juridica intimatio sententiæ, et transit in rem judicatam, incurritur et perficitur infamia. Ad quod explicandum tria possumus in infamia distinguere: unum est, jus quod unusquisque habet ad suam famam, quod dicitur dominium famæ, ratione ejus nemo potest sine injuria infamari, quamdiu integrum retinet dominium famæ suæ; aliud est veluti actualis possessio famæ, vel actualis ejus privatio per publicam notitiam et opinionem talis delicti de tali persona. Tertium est, inhabilitates aliquæ seu effectus morales, qui sequuntur in tali persona ex tali infamia.

9. *Per judicis sententiam aufertur jus ad famam.* — Quod ergo ad primum spectat, immediate fit per sententiam ipsam, si definitiva sit, ut dixi, et delictum sit ex his, quæ in jure notantur infamia, juxta l. 4, cum sequent., ff. de His qui notantur infam., et C. Ex quibus caus. infam., etc., et l. 4 de Postulando, l. 5, cum sequent., C. eodem, cap. Infames, § Porro, 3, quæst. 7. Idemque est quoties in sententia infamiae pœna imponitur quæ ostendit turpitudinem delicti, et relinquit hominem infamem etiam post perpassam pœnam, ut dicitur in dict. § Porro. Requiritur tamen, ut talis pœna non solum in se abjecta

sit, sed etiam per sententiam imposita, ut declaratur in l. Nullam, C. Ex quibus causis, etc. Quod ergo per talem sententiam statim dominium famæ amittatur, constans est apud omnes, quia sub hac ratione habet rationem talis pœnæ, et sententia potens est ad talem pœnam infligendam; ergo quoad illam secum affert executionem, nec enim posset aliter executioni mandari. Unde omnes fatentur non esse contra justitiam publicare delictum hominis sic juridice condemnati, quia jam est privatus dominio suæ famæ, quoad hanc partem, licet fortasse charitas possit interdum obligare ad non divulgandum illud, juxta occurrentes circumstantias, de quo videri potest Soto, lib. 4 de Justitia, quæst. 6, art. 3, ad 4, et lib. 5, quæst. 10, art. 2; Navarrus, cap. 48 Summæ, num. 26, et sequentibus; Cordub., tractatu de Detractione, membr. 4, quæst. 3, conclus. 6, et alii quos refert et sequitur Petrus Navarra, tom. de Restitutione, lib. 2, cap. 4, num. 286, et sequentibus.

10. *Actualis possessio famæ, quomodo per sententiam judicis auferatur.* — *Effectus legales infamiae per ipsam judicis sententiam inferuntur.* — Secundum autem, scilicet, actualis spoliatio famæ, seu contraria infamatio, fit suo modo per sententiam solum sufficienter, quamvis augeri possit per hominum sermonem. Patet, quia sententia ipsa dat quamdam publicam notitiam delicti; sicut enim illa manat ex scientia judicis ut sic, quæ est scientia publica, et profertur ministerio publico, et coram publicis ministris justitiæ, ita confert notitiam publicam, et consequenter publice obscurat famam. Et præterea dat aliis facultatem loquendi et divulgandi si velint, et consequenter in radice ac moraliter loquendo omnino eripit famam, quamvis actualem notitiam non possit per seipsum omnibus conferre, et quoad hoc crescere possit postea infamia veluti actualis. Et hoc solum probat difficultas tacta, quæ non obstat quominus talis infamia ante talem divulgationem simpliciter dicatur et propriissime infamia juris, quam denominationem semper retineat, etiamsi postea opinio crescat, et volet fama; semper enim eandem rationem retinet. Quod vero spectat ad tertiam de legalibus effectibus infamiae, in quo consistit, vel consummatur, ipsam esse legalem, certum est sententiam ipsam secum afferre executionem talium effectuum, quales sunt reddere personam inhabilem ad dignitatem, ad testimonium ferendum, juxta qua-

litem infamiae et similis. De quibus Sylvester et Summistæ, verb. *Infamia*. Probatur, quia pœna per sententiam infertur, et quoad hos effectus privativos secum affert executionem, ut de censuris dictum est, et statim amplius exponetur.

De infamia legali facti.

11. *Prima conclusio.* — Occurrebat vero statim dubium, an infamia quoad hæc omnia incurratur aliquando per solam legem ante omnem sententiam, sitque hic alius modus infamiae juris. Sed hoc dubium simul cum altera parte proposita de infamia ipso facto expediendum est. Ad alteram ergo partem de hac infamia dicitur imprimis solam hominum notitiam vel opinionem de aliquo delicto non inducere infamiam legalem sine aliquo juris adminiculo, id est, sine lege instituyente et mandante, ut tale delictum sit ex his, quæ homines reddunt infames, quod bene probat ratio dubitandi ibi facta, et quæ in prima divisione dicta sunt. Seclusa enim institutione juris humani, talis opinio gravabit quidem personam, et obscurabit illam, et reddere poterit indignam dignitatem et officiorum, quantum rei natura vel conditio ex se postulaverit, non tamen per modum pœnæ, vel legalis impedimenti, sed ex naturali tantum ratione; et ideo dicimus talem infamiam non esse legalem, sed humanam et quasi meri facti, cujus gravitas non tam lege humana quam ex intrinsicis circumstantiis et materia spectatur ad iudicandum tam de culpa infamationis seu de tractionis, per quam inferri solet, quam de moralibus effectibus ejus. Et de hac optime dixit Navarr., cap. 18, num. 20, tunc esse notabilem jacturam ejus, quando ratione illius homo reputatur indignus alicujus gravioris boni animæ, corporis aut fortunæ, quod contingit seclusa lege humana ex naturali opinione et iudicio hominum veluti per naturalem consequencem. Nihilominus tamen non erit talis infamia ipso facto, qualis est illa, de qua nunc agimus, quia non erit legalis.

12. *Secunda conclusio.* — Deinde dicendum est, supposita legis institutione, dari aliquam infamiam ipso facto, et esse illam, quæ sine sententia iudicis, vel aliquo ordine iudiciario reddit hominem infamem. Hoc probant jura supra citata in dicta divisione. Ratio vero est, quia interdum institutio legis talis est, ut ad

talem infamiam contrahendam nihil aliud requirat quam factum, et per seipsam fert sententiam, quod facere potest, præsertim in hujusmodi privativis pœnis. Unde constat hoc genus infamiae facti non habere locum, nisi ubi lex illam expresse imponit per verba, quæ sufficienter significant latam sententiam, qualia sunt, *ipso jure*, vel *eo ipso*, *absque alia declaratione*, sicut supra de censuris dictum est. Alioqui si verba indifferentia sint, etiamsi, *Qui hoc fecerit, infamis sit*, intelligenda est, *per sententiam*, juxta generalem regulam legis pœnalis. Sæpe tamen adduntur prædicta verba, ut videre licet in citatis juribus, et in aliis, quæ late congerit Maiolus, lib. 3, cap. 1, et tunc procedit doctrina data.

13. *An perpetratio delicti per accidens occulti ad hanc infamiam sufficiat.* — Sed oritur hic gravis difficultas; nam sequitur, ad hanc infamiam facti nec publicam notitiam esse necessariam, sed satis esse perpetrationem ipsam delicti, tametsi per accidens sit occultum, ad hanc infamiam contrahendam, sicut sufficit ad incurrendam censuram similibus verbis impositam. Consequens videtur involvere repugnantiam, nam crimen manere occultum, et per solum factum incurere infamiam, repugnantia videntur, cum publica notitia sit de ratione infamiae præsertim facti. Responderi potest admittendo illationem, illam vero infamiam non esse facti, sed juris, alterius tamen modi quam sit illa quæ inferitur per sententiam hominis, scilicet, per ipsummet jus legis illata; et ideo non postulare notitiam publicam facti aut juris, sed solam conscientiam operantis. Sed hoc ipsum est, quod videtur involvere repugnantiam, scilicet, quod sit infamia, et quod sit absque ulla notitia publica, cum hæc sit de definitione infamiae, ut sic dicam. Unde licet in aliis privativis pœnis habeat locum ille modus executionis per ipsam legem, in infamia non videtur habere posse, quia non potest lex per se auferre bonam opinionem, in qua consistit fama, et in ejus privatione infamia.

14. *Castri responsio.* — *Impugnatur.* — Propter hanc difficultatem Castro, lib. 2 de Lege pœnali, cap. 15, in fine, ait, hanc infamiam non incurri ipso jure vel facto per delictum occultum, etiamsi lex dicat, *ipso jure*, vel quid simile. Et hoc putat esse singulare in pœna infamiae propter specialem repugnantiam; unde sentit non posse aliud per legem fieri, etiamsi legislator velit. Haec autem opinioni in primis obstat, quia juxta

illam vel est repugnantia in legibus ponentibus hanc pœnam ipso jure seu ipso facto, vel superflue adduntur similes particulae. Dices, non esse superfluas, quia saltem operantur, ut sufficiat sententia declaratoria, et non requiratur condemnatoria. Sed contra, quia vel illa sententia declaratoria, operatur tantum a die quo profertur, vel retrahitur usque ad diem commissi criminis. Si primum, non est tantum talis sententia declaratoria, sed etiam condemnatoria respectu talis pœnæ, quia secum affert executionem talis pœnæ, nec potest aliter illam inferre, nisi publice notificando delictum. Sicut in sententia excommunicationis, quæ solum declarat censuram incurri ab eo tempore, in quo ipsa sententia fertur, non potest distingui sententia declaratoria a condemnatoria. Si autem detur secundum, quod scilicet sententia retrahatur, ergo per illam declaratur pœnam fuisse incurram a die commissi criminis; nihil enim aliud est sententiam retrahere, quam per illam hoc declarari. Declaratur, quia non repugnat pœnam infamiae hoc modo fieri per legem; ergo si verba legis hoc satis significant, ita contrahetur. Antecedens patet, quia si repugnaret, in nulla lege vel delicto id fieri posset; at in peccato hæresis contrarium docet idem Castro, lib. 2 de Justa hæret. punit., cap. 9, nam in principio dicit, occultum hæreticum esse infamem infamia juris, licet nondum sit infamia facti, quia ejus delictum non est manifestum. Et idem tenet Penna referens alios in Director. Inquisit., p. 1, comment. 4.

15. *Dubii resolutio.* — *Per factum per accidens occultum inducitur infamia, quæ consistit in publica notitia etiam quoad dominium.* — Quapropter ad difficultatem respondeo in infamia distinguenda esse duo vel tria, quæ supra insinuavi, scilicet substantiam famæ, quæ est quasi materiale in ipsa, et consistit in publica notitia vel opinione, et moralitas seu legalitas infamiae, quæ est veluti formale. Quoad primum ergo constat non auferri ipso facto per legem, quamdiu occultum est delictum, ut probat difficultas proposita. Oportet autem in hac ipsa substantia famæ duo alia distinguere, scilicet, actualem possessionem ejus, et dominium illius. Et de priori quidem est per se clarum non auferri quamdiu crimen est occultum, et hoc ad minimum demonstrat ratio facta. De dominio autem id posset in dubium verti; sicut enim hæreticus juxta probabilissimam sententiam

a die commissi criminis privatur dominio bonorum ex vi legis, quamvis non privetur possessione et usu illorum, ita posset intelligi de fama. Quod plane sentit dict. c. 9, dicens, hæreticum ita incurere infamiam ante sententiam, sicut amittit dominium suorum bonorum, licet non amittat possessionem, quod statim extendit ad omnia delicta, propter quæ leges imponunt infamiam ipso jure. Sed est sententia rigorosa, et nisi commode explicetur, erit falsa. Si enim sensus sit ita perdi dominium famæ ipso facto ex vi talium legum, ut possit delinquens sine injustitia infamari, licet occultum sit delictum, sicut diximus posse post sententiam definitivam, sic falsa est opinio. Probatur, quia non privatur possessione vel usu famæ suæ; ergo non potest juste illa spoliari ante sententiam; ergo nec infamari per publicationem delicti occulti, quia non potest quis aliter spoliari et privari possessione famæ suæ. Antecedens et prima consequentia patent a simili de amissione aliorum bonorum, quorum possessio non perditur ipso facto, nec potest quis illis spoliari ante sententiam; nullo autem jure fit major privatio famæ per hujusmodi leges ante sententiam, quam aliorum bonorum, nec datur aliis major licentia ad tollendam illam. Et revera non esset expediens, quia esset occasio imponendi falsa crimina et generandi magnas dissensiones et odia. Si ergo non obstante tali delicto occulto, adhuc retinet quis jus in famam suam, ratione cujus non potest illa sine injustitia privari, videtur retinere dominium ejus, quia vix potest dominium famæ habere alium effectum, neque alium proprium usum. Nihilominus quoad aliquid intelligi potest dominium illud famæ infirmari ipso facto, ut jam explicabo.

16. *Incurritur tamen in ordine ad effectus legales.* — De altera ergo conditione infamiae, quæ consideratur in ordine ad effectus legales, dicendum est, per hujusmodi leges incurri infamiam ipso facto, etiamsi crimen occultum sit. Probatur, quia ex tunc fit persona indigna et inhabilis ad eos effectus, ad quos infames sunt inhabiles secundum jura, ut de hæretico affirmant auctores citati, et eadem est ratio de reliquis, si jura eodem modo loquantur. Quia lex potest per seipsam infamiam inurere quoad hanc partem, et verba ejus significant etiam velle; ergo id operatur. Et quoad hoc dici potest infirmatum dominium talis famæ, quia non potest